



Disputatio juridica inauguralis de postulationibus advocatorum

<https://hdl.handle.net/1874/347248>

35.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
POSTULATIONIBUS
ADVOCATORUM.

QVAM,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Utrechtinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in
Ecclesiâ Praconis,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PROGRADU DOCTORATUS
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
ritè & legitime consequendis,

Eruditorum examini subjicit

PAULUS GISBERTUS VOET, ULTRAJECT.

A. D. 26 Augsti, hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clo lcc Lxxxix.

*Amplissimis Gravissimis ac Consultissimis
VIRIS,*

D. JOHANNI VOET, J.U.D.
eiusdemque Facultatis in illustri Batavorum Academia ut & Juris hodierni Professori ordinario.

D. PAULO VOET à WINSSEN,
J. U. D. Urbis Ultrajectinæ Consularis dignitatis
viro, nuper ad celssimorum ac Præpotentium D.D.
fœderati Belgii Ordinum generalium confessum de-
legato, nunc vero illustribus ac potentibus D. D. Or-
dinibus Provinciæ Ultrajectinæ à Secretis : fratribus
ac fautoribus suis omni officiorum genere colendis.

N E C N O N

Experientissimo Doctissimoque

D. ANNÆO van ECHTEN, M.D.
& quæstori vigilantissimo Avunculo plurimum
honorando.

*Disputationem hanc ut & se ipsum
consecratum voluit*

PAULUS GIBERTUS VOET,

AUCTOR.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

D E

POSTULATIONIBUS ADVOCATORUM.

THESIS I.



E Advocatis eorumque officio hac inaugurali acturus dissertatione, operæ pretium fore arbitror, si non nulla de verbo *postulandi* (in quo potissimum consistit advocati officium) præmiserim. Præsertim, cum vel strictius vel latius, vel proprie vel improprie illud in jure accipiatur. Quandoque enim refertur ad causas criminales, & tunc nihil aliud est *postulare* quam accusare & aliquem criminis reum postulare: quandoque ad causas civiles, quo casu iterum vel sumitur tam pro *advocando* quam *procurando*; vel stricte pro *advocationis* munere tantum. *Hahn. b.t. num. 2.* Sic ut *postulare* tunc sit secundum Ulpianum,

A 2

suum

4 DISPUTATIO JURIDICA

suum vel amici desideriam exponere vel alterius desiderio contradicere apud eum qui jurisdictioni præst. l. 1. §. 2. ff. b. t. l. 4. §. 8. ff. de *damno insecto*. quamvis aliquando etiam apud judices pedaneos, sed impropre dicatur facta postulatio. l. 1. §. 6. ff. b. t.

I I.

Postulare autem aliquis potest vel pro se vel pro alio, qui pro alio postulat, *advocatus* dicitur, vel *causarum patronus*, etiam orator. l. 2. §. 43. ff. de *orig. juris*. l. 14. C. de *advocat. diversor. judiciorum*. Quales & alibi appellantur *justitiae satellibes* in toto seculo felices. *præm. pandet*. *juris sacerdotes*, *justitiam colentes*, & boni & xqui notitiam profitentes l. 1. §. 1. ff. de *justit. & jure* unde evenit, *advocatos digniores ac nobiliores fuisse habitos procuratoribus*: cum horum munus apud Romanos inter viliora & abjectora numeratum fuerit. l. 34. C. de *decurionibus*. Quod ut manifestius appearat, *consultum erit præcipuas inter advocatos & procuratores* recensere differentias.

I I I.

Primo itaque personam clientis in tutelam suam suscipit *advocatus*, causas orat, libellos concipit, t. C. de *error. advocat.* *jura tractat*. *procurator* vero *advocationis minister est*, res seu negotia expedit, atque efficere debet, ut instrumenta habeat *advocatus*. *Cujac. in tit. C. de procurat.* 2. in cunctis causis admittuntur *advocati*, sive *civilibus* sive *criminalibus*, ut patet ex multis *Ciceronis orationibus*: at *procuratores* tantum in *civilibus* privatisque causis interveniunt, sive *infamantibus*, sive non *infamantibus*, sive non *infamantibus*, l. 6. §. 2. ff. de *bis qui notant. infam.* in *criminalibus* plerumque non admittendi, nisi illæ tales sint, ut rei etiam absentes damnari possint l. 33. §. 2. ff. de *procuratoribus*.

I N A U G U R A L I S . 5

tribus, cuius ratio ex parte accusatoris est subscriptio in crimen ; ex parte rei ne judicium reddatur elusorium , cum sententia feratur in procuratorem cum quo litis contestatio facta est. *l. 1. C. de sentent. & interlocut.* damnantur vero absentes criminum rei , si pena sit irroganda , quæ minor est relegatione. *l. 1. ff. an. per alium causæ appellat. reddi possunt.* vel lis cum ipsis reis præsentibus contestata sit. arg. *d. l. 1. C. de sentent. & interlocution.* 3. procurator mandato domini constituitur ; est enim secundum Ulpianum in *l. 1. ff. de procurat.* qui aliena negotia mandato domini administrat : Sic ut teneatur de rato cavere , si de mandato ejus dubitetur. *l. 1. C. de procuratoribus* nec ullo modo pro actore admittatur si constet ipsum mandato carere ; exceptis quibusdam conjunctis personis , pro quibus etiam sine mandato recte intervenit. *l. 35. ff. de procurat.* licet abusive appelletur procurator , qui pro reo sine mandato intervenit , ejusque defensionem suscipit , inde defensor proprie dictus. §. 5. *inst. de satisfaction.* uti & qui mandato caret. in *l. 58. ff. de solutionibus.* *l. 24. ff. de negot. gestis.* *l. 22.* §. 1. l. ult. §. ult. ff. rem. ratam haberi cum revera falsus procurator sit. *l. 3. §. 1. rem ratam haberi.* Hæc aliter in advocate obtinent , quippe qui sine mandato , rogatus à cliente , patrocinium ejus in se suscipit. 4. Privatum est procuratoris officium , saltem eatenus , quatenus invitus cogi non potest ad id ut procurationem alieni negotii in se recipiat. *l. 8. §. 1 ff. de procurat.* advocate vero officium ita publicum est , ut illi , qui in ordinem illorum relati sunt , inviti à magistratu possint ad patrocinium præstandum illis , qui causarum patrono sunt destinati. *l. 1. §. 4. ff. de postulando.* Sic ut , si à judice moniti patrocinium clienti recusent , in posterum foro arcendi sint veluti indigni. *l. 7. C. de postulando.*

I V.

Ad splendidissimum hoc advocateorum officium olim ad-

A 3

mitte.

6. DISPUTATIO JURIDICA

mittebantur omnes nominatim haud prohibiti , si modo satis eruditii studiorum in se haberent fiduciam ; sed postea non aliter in numerum & ordinem causidicorum fuerunt cooptati , quam si prius juris periti corum doctores jurati depositissent esse eos , qui surrogari desiderant , periti juris instructos . l. 11. §. 1. C. de advocate diversor. judiciorum . quam juris scientiam ut alacri studio nanciscerentur , annorum quatuor spatium iis præscriptum fuit , quibus justinianus quintum superaddi voluit . proamion. pandet . nostra vero ætate sufficit , si exhibeatur promotionis academicæ testimonium , & solenne præstetur jusjurandum , ut patet ex instruct . Curiæ Ultrajectinæ & instruct . Curiæ Holl. art. 1. nec remansit in usu illud quinquennii tempus , cui ante adstricti erant legum studiosi . Zypenus notit . jur. Belgici ad h. tit. de postulando .

V.

Cæterum varii à postulandi llicentia fuerunt exclusi ; quidam edicto , quidam lege , quidam sententia judicis , edicto prohibiti tres hominum ordines ; non nulli enim in totum repulsi sunt ; quidam pro aliis postulare vetiti ; quidam denique pro se & quibusdam aliis ad postulandum admissi , nec præter illas personas ulli clienti patrocinium præbere potuerint , in totum edicto postulare prohibiti fuerunt minores annis septendecim : ea enim ætate maiores , uti ad procuratoris officium tam in judicialibus quam extra judicialibus negotiis potuerunt admitti ; §. 5. inst. quibus ex causis manumitt. non licet . l. 13. ff. de manumis. vindicta . ita quoque ad postulandum : nam & Nerva filius eo anno de jure fertur respondisse : ac credita fuit ea ætas moderata satis ad procedendum in publicum . 1. 1. §. 3. ff. de postulando . propter vitium quoque seu casum etiam omnino postulare nequeunt ex edicto surdi , qui prorsus non audiunt ; quia magistratus jussum intelligere non possunt , ac proinde nec contumaciæ argui . d. l. 1. §. 3. ff. de postulando hic vero prætori displicuit de mutis mentionem

nem facere, quia illos sermonem habere atque adeo vel pro se vel pro aliis causam dicere per naturam impossibile est.

V I.

In secundo ordine, eorum nempe qui pro se quidem at non pro aliis admittuntur, occurunt ob sexum feminæ; in quibus ratio quidem prohibendi fuit, ne contra pudicitiam sexui congruentem alienis causis se immisceant, ac virilibus fungantur officiis. *l. 1. §. 5. de postulando. l. 2. ff. de reg. juris.* Qui enim olim postulabant, in ordine stabant prætorem ad euntium, quibus matronam Romanam admisceri indecorum erat. *l. fin. C. de arbitris.* Occasio vero ac origo prohibitionis introducta fuit a Carfania (vel ut alii, Gaja Afrania) improbissima fœmina, quæ inverecunde postulans, & magistratum inquietans, huic edicto causam dedit. *d. l. 1. §. 5. ff. b. t.* *Valerius Maximi libr. 8. cap. 3.* Huc quoque referendi ob casum cœci, qui licet retineant magistratum cœptum, & judicandi munere fungantur, pro aliis tamen non recte postulant; videlicet, quod magistratus insignia videre & revereri non possint, unde & Labeo refert, Publum Cœcum, versa sella a Bruto destitutum, cum vellet postulare. *d. l. 1. §. 5. ff. b. t. de postulando.* Ad hæc insigniter infames, quales plures recensentur in *l. 1. §. 6. ff. de postulando.* Pro se quidem, at non pro aliis causas agere possunt, exceptis illis, quorum tutelam aut curam gerunt. *d. l. 1. §. 6.*

V I I.

Tertio pro se & certis tantum personis ex edicto postulare possunt, at non pro omnibus, qui edicto prætoris infamia quidem notati sunt, sed non tali, nec tam insigni, ut propteræ in universum a licentia postulandi juxta ante dicta fuerint repellendi. *d. l. 1. §. 7. & seqq. ff. de postulando.*

8 DISPUTATIO JURIDICA

VIII.

Lege postulare prohibentur judices & arbitri in ea causa, quam cognituri & sententia sua determinaturi sunt. *l. 6. C. b.t.* Quin imo, eo tempore, quo quis assessoris munere fungitur, nec in eodem auditorio in quo assessor est, nec in alio, suas aut alienas causas tractare tanquam advocatus potest; ut tamen deposito assessoris officio possit iterum ad causas orandas reverti. *l. ult. C. de assessoribus.* Sic & à postulando exclusi hæretici. *l. ult. C. de postulando.* Liberti contra patronos ob reverentiam iis debitam, decuriones contra patriam suam. *l. 10. §. 1. ff. b.t. de postulando.*

IX.

Denique sententia judicis interdicitur quandoque postulationibus & exercitio patrocinii; idque vel ad tempus vel in perpetuum, interdum cum nota infamiae ob crimen interdum sine ea. *l. 1. §. 13. ff. de officio præfetti urbi. l. 3. ff. b.t. de postulando. l. 9. in pr. ff. de paenit. si modo à tali judicis sententia non fuerit appellatum. l. 1. C. b.t. de postulando.* Illis autem, qui postulare judicis decreto sunt prohibiti, licitum nihilominus est consilio, scripturis aut aliis privatis actionibus cause litigatorum extra judicium inservire: *arg. l. 2. §. 4. ff. de paenit. Wesemb. b.t. n. 5.*

X.

Quod ad officium advocatorum attinet; necesse est, ut candide ac bona fide liti patrocinentur; à fraudibus vero ac fallaciis in universum abstineant. *l. 14. §. 1. C. de judicis.* Hinc dubitatum an advocatus uti possit dolo adversus dolum? Quod licet glossa & practici multi affirmandum censeant, vix tamen est ut id admitti possit, non tantum in foro conscientia,

I N A U G U R A L I S. 9

tiæ, juxta illud, non esse facienda mala, ut eveniant bona; sed & secundum ipsa juris civilis fundamenta, dum jurare cogitur, se id quod verum & justum existimaverit, clientibus suis inferre procuraturum; & scientem prudentemque mala conscientia liti ex mendacibus allegationibus compositæ non patrocinaturum. *d. l. 14. §. 1. C. de judicis.*

X I.

Sed & requiritur ut litem advocati modeste tractent, agant quod causa desiderat; temperent se ab injuriis, nec unquam ultra, quam litium poscit utilitas in licentiam conviciandi & maledicendi temeritatem prorumpant; aut eo procaciæ procedant, ut non ratione sed probris putent esse certandum, ac derelicto negotio in adversarii contumeliam aut palam aut subdole pergent; infamie pœnam subituri. *l. 6. §. 1. C. de postulando.* Ad hæc, ne iurgium de industria protrahant, nec ad turpe compendium stipemque deformem arripiant litium occasionem, sed laudis augmenta per eas sibi querant; ne, si lucro atque pecunia capiantur, velut abjecti atque degeneres inter vilissimos numerentur. *l. 6. §. 4. & 5. C. de postulando.* Non etiam litem suscep tam sine justa causa deserant; multoque minus, cognitis unius partis fundamenris, ad alteram partem transeant, atque ita prope incidunt in crimen prævaricationis. *l. 4. §. 4. ff. de his qui not. infamia.* Quamvis enim laudabile fit, causidicum, si certamine procedente litem improbam ac desperatam animadverterit & ex mendacibus allegationibus compositam, eandem sine ulla procrastinatione deserere; in partes tamen contrarias concedere, non caret plerumque turpitudinis alicujus ac sordium suspicione. *Zoesius ad Pandect. b. t. de postulando num. 5.* Denique cavendum summopere ne turpia cum clientibus ineant pacta de quota liti; etenim sumitus quidem prorogare litiganti honestum est; pacisci autem, ut non quantitas eo nomine ex pena cum usuris licitis restituatur, sed pars dimidia ejus, quod ex

10 DISPUTATIO JURIDICA

ea lite datum erit non licet; ut ait Jurisconsultus in l. 53. ff. de pact. & Imperat. l. 6. §. 2. C. b. t. de postulando inquiunt; nullum cum eo litigatore contractum, quem in propriam recipit fidem, ineat advocatus: nulam conferat pactionem.

XII.

Quod si non nulla per errorem advocatus protulerit, aliter quam ea proserri expediret clienti, si quidem id cliente praesente contigerit, nec is in continentia id est intra triduum, errorem correxerit eique contra dixerit, ipsi litiganti procul dubio nocebunt, l. 3. C. de errore advocat. Cum ea, quæ advocati presentibus his, quorum causæ aguntur, allegant, perinde habenda sint, ac si ab ipsis dominis litium prolata essent. l. 1. C. de errore advocator. Sed si absente litigante error irrepserit, non aliter is ei nocitus est, quam si usque ad sententiam eundem corrigere neglexerit nec lata sententia appellationem interposuerit. l. 2. & 3. C. de errore advocat.

XIII.

Quamvis autem olim sine ulla honorarii spe causas oraverint patroni; posterioribus tamen temporibus æquius visum fuit, eos, qui togatam gerebant militiam, & gloriose vocis munimine confisi lapsa erigebant, fatigata reparabant, & laborantium spem vitam ac posteros defendebant, secundum l. 14. C. de advocat, diversor. judiciorum. Laboris ac patrocinii præstiti præmium accipere. In quo etiam à procuratoribus distincti fuerunt: cum enim nulla procuratoribus deberentur salario, nisi promissa essent, certa rei aut quantitatis mentione facta, sicut honoraria incertæ pollicitationis nec actione mandati nec extra ordinem peti potuerint per procuratorem. l. 7. l. 56. §. 3. ff. mandati. Causarum tamen patronis id datum fuit, ut & salario non promissa vel nudo tantum pacto constituta petere potuerint. l. 4. ff. de extraordinariis cognition. Ne tamen in fin-

in singulas lites ex conventione ascendant ultra centum aureos.
l. i. §. 12. ff. de extraordinar. cognition. Nullo autem certo
 promisso honorario, judex ex circumstantiis variis determi-
 nare debuit, quantum eo nomine præstandum fuerit; consi-
 derata scilicet advocati facundia, modo litis ac fori & judicii,
 in quo causa agitata, consuetudine *d.l. i. §. 10. ff. de extraord.*
cognit. & si enim hoc munus liberale sit, & jurisprudentia sit
 res sanctissima pretio nummario non æstimanda. *d.l. i. §. 5.*
 Salarium tamen ei non adversatur, si legitimum modum non
 excedat. *d.l. i. §. 10. in fine ff. de extraord. cognit.* *Gail. i. ob-*
servat. 44. in princ.

X I V.

Quod si annum advocato salarium constitutum sit; isque
 in medio anni moriatur, an integri tamen anni honorarium
 ipsius hæredibus sit debitum, inter Jurisconsultos disceptatur.
 Verius mihi videtur, integrum deberi, sic ut hæredes non
 tantum soluti retentionem habeant, sed & nondum solutum
 recte putant. *l. 15. C. de advocat. divers. judiciorum.* *l. i. §. 13.*
ff. de extraordin. cognit. *l. 38. ff. locati.* Quemadmodum ex ad-
 verso fas est pauperibus gratis patrocinium impertiri, ne alias
 ob inopiam indefensa jaceat justissima paupertini causa; unde
 & satius multi putant, ex publico salarium advocate clientis
 egeni assignari, quam ipsum fideli causæ suæ patrono destitui,
 atque ita satis ipsa paupertate presso & afflito aliam addi af-
 flictionem.

C O.

COROLLARIA.

I.

*M*erum imperium residet in principe
tanquam in fonte.

II.

*T*ransactio non est contractus.

III.

*Q*ui credit ad refectionem navis non
habet tacitam hypothecam.

IV.

*A*liena res non potest pignori dari.

